244

lapidem, ut gratiam pro gratia rependam, probemque vobis non ingrato praestitum esse, quicquid officii et beneficii in hunc à vobis fuerit collatum. Quod superest, Venerabilem vestram paternitatem cum suis feliciter valere, diuque ad gloriam Dei, usumque Ecclesiae ejus salutares supervivere animitus discupio. Dabam Albae Juliae die 22. mensis Augusti Anno Domini 1619.

Reverendissimae Dominationis vestrae
Fautor paratissimus
Stephanus Bethlen de Iktar.

D. Philippo Geigero Theologo Apocalyptico. 231.

Salutem!

Notas tuas Apocalypticas, Reverende Domine Geigere, libenter accepi, et quarum potui, percurri: excutere singulas prohibebatur per occupationes: et perturbato hic rerum statu, jucundas tuas de millenario regno post eversum Papatum speculationes, haud videtur postulare, sed potius hoc grapsate anno, quo Antichristianos ubivis locorum adversus Evangelium cornua erigere videmus, feliciter superandae meditationes salutares ac preces requirere. Caeterum expendendi ea, et recognoscendi mea, occasionem praebebit aliquando altera, si Dominus vitam dederit. Tu interim in beato tuo otio etiam reliqua Apocalyptica sub eandem virgulam vocare perges, vel consilio post tricesimum annum differes, quando de his mysteriis forte aliter sentiês. Quicquid facies, saltem aculeos procides et tam mordacibus sarcasmis curas meas vellicare cavebis, exuesque opinione de ... et ... meâ. Aberroris alea ego me non eximo: Sed neque te. Gloriam Dei et Christi promovere tibi propositum, scito ... mihi fuisse et esse quam maxime. Vive Vale. Heidelbergae 15. Aug. 1619.

Illustri et Generoso Domino D. Wenceslao Budowez libero Baroni à Budowa &c: 232

David Pareus

Gratiam cum Benedictione à Domino!

Illustris et Generose Domine. Ex quo mihi datum fuit audire Tuum de Irenico meo judicium: etsi antea multoties celebrata mihi esset eximia virtus tua, ... tamen admirari, et colere apud me coepi singularem pietatem, prudentiam et fortitudinem Tuam, cum praeclara divinarum rerum cognitione, studioque et Zelo gloriae Dei conjunctam. Quarum virtutum inter maximarum documenta amplissima scripta erudita, torquati illius ad Alcorani Mateologi offubias exposita,